

555.  
de jure  
quod comp.  
societati  
faed.  
Belgii.  
1724.



H

P. 174.

*2 Westervan* DISSERTATIO

36.

DE JURE,  
QVOD COMPETIT  
*SOCIETATI PRIVILEGIATÆ*  
**FÆDERATI BELGII**  
AD NAVIGATIONEM ET COMMERCIA  
**INDIARVM ORIENTALIVM,**  
ADVERSVS  
INCOLAS BELGII HISPANICI  
(hodie) AVSTRIACI.

P. 174.

KÖNIGRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE



*Ku 4142*  
*3818*

*LIPSIAE MDCC XXIV.*

P. 174.

## Dissertatio

# DE LA RE

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O,  
D E J U R E,  
Quod competit  
*SOCIETATI PRIVILEGIATÆ  
FÆDERATI BELGII*

Ad Navigationem & Commercia  
INDIARUM ORIENTALIUM,

Adversus

INCOLAS BELGII HISPANICI  
(hodie) AVSTRIACI.

§. I.



Uatenus mare, & usus maris, uti cæteræ res, quæ  
jure gentium communes sunt, dominii capax sit, *Mare quan-*  
& legibus Imperantis subjici possit, hoc loco in-*tumvis com-*  
quirere operæ pretium non videtur; satis enim su-*nune sit,*  
perque ifta quæstio priori seculo agitata est inter *Principes tæ-*  
viros excellentes & præclaros, *Solorzanum, Grotium, ejus inter se*  
*Soldenum, Pacium, Maulium, Wewodum, Graswin-*  
*kelium, aliasque, quorum scriinia compilare non libet.* Idque eo mi-*convenire pos-*  
nus, quod in hac Diputatione, quæ intercedit inter incolas utriusque Belgii, *jure & ex-*  
Fæderati nempe & Austriaci, id tantum controvertatur, an maria, ratione  
commerciorum, pacto sive consensu duorum Principum, quorum interest,  
ita dividi non possint, ut hic una, alter altera parte, discordiarum vitanda-  
rum causa, utatur fruatur. Quo sensu (licet alias concedamus maria ab  
humana potestate vix ita occupari posse, ut usus illorum alteri com-  
munis non sit) recte tamen ab Hieronymo de Monte dictum accipimus,  
in *Tractatu de Finibus Regund. Cap. 39.* *Quanquam in mari confines*  
*non sunt, cum aqua communiter est uniformis, effè tamen pertinentias ali-*  
*quas:*

A

# DISSERTATIO DE JURE

*quas: Item a Baldo ad l. i. de Rerum Divisione: Jure gentium in mari regna distingui posse, sicut in terra arida.*

Principes hoc modo inter se convenire posse, indubitati juris est: neque, ut rem exemplis illustremus, opus erit recurrere ad antiquiora illa, qualis erat olim pax inter Artaxerxem, Persarum Regem, & Athenienses: *Ut semper a mari Graeco curriculum equi abstineret, neque inter insulas Cyaneas & Chelidonias longam navem vel rostratam haberet.* Item fædus cum Laconibus istum: *Mari quidem Laconas & socios uti posse, sed minime navigare navi longa, verum alio navigio, quod remis actum vecturam talentorum 50. non excederet.* Nec non fædus inter Romanos & Carthaginenses circa Olympiadem 68. *Ne naviganto Romani Romanorumve socii ultra Pulchrum promontorium, extra quam si tempestatis aut hostium vis fuerint coacti.* Quo etiam spectant decantata illa, & ab auctoribus in hanc partem sèpius allegata, verba Ambrosii, lib. V. Hex. Cap. 30. *Spatia maris sibi vindicant jure mancipii, pisciumque jura, sicut vernaculorum, conditione sibi servitii subjecta commemorant: Iste, inquit, sinus maris meus es, ille alterius, dividunt elementa sibi potentes;* atque alia multa, quæ longa serie recenset Seldenus de Dominio Maris Lib. I. Cap. ii. 13. & 15. Præsens enim & præteritum seculum ejusmodi fæderum & conventionum satis magnam copiam exhibit, quorum novissimum, & valde quidem memorabile, est fædus inter Potentissimum Hispaniarum Regem Philippum V. & Præpotentes D. D. Ordines Fæderati Belgii istum, Ultrajecti ad Rhenum D. 26. Junii Ao. 1714. cuius Articulo 31. & 36. *Omnes Europe populi præter Hispanos, quasi communi aliquo consensu, ab aditu Indiarum Occidentalium, commerciorum causa, prohibentur: & optima quidem ratione, secundum ea, quæ pulchre huc adfert Solorzonus de Jure Indiarum lib. II. Cap. 25. n. 47. & seqq.*

Considerari enim debet, quod pax inter Principes Christianos conservari non potest, si promiscue in eandem curam intenderent omnes; quantumvis pio animo, & ab omni divitiarum cupiditate libero ducerentur, ut constare potest ex ipso Castellanorum & Lusitanorum exemplo, qui quamvis ita Catholici essent, & maximis amicitia & necessitudinis vinculis juncti, intestinis tamen odiis & bellis flagrare cuperunt, ob id, quod alter alterum suos intrasse terminos querebatur.

## §. II.

*Argumen-  
sum articulo-  
rum 5. & 6.  
federis pacis  
Monasterien-  
sis enarratur.*

Hujus naturæ atque conditionis etiam est fædus, quod Anno 1648. Monasterii in Westphalia factum est, inter supra memorati Regis Hispaniarum Gloriosum Prædecessorem Philippum IV. & Præpotentes D. D. Ordines Fæderati Belgii, cuius articulis 5 & 6 cautum conventumque est:

*Ut*

# SOCIET. IND. ORIENTALIUM.

3

*Ut navigatio & commercia ad Indias Orientales & Occidentales subsistant, & defendantur secundum Privilegia data, aut in posterum danda: que rata & firma redduntur per hoc ipsum fedus, & ratificationis instrumenta, utrinque edenda: Quo comprehendentur omnes Principes, Nationes, & gentes, quibuscum altememorati D. D. Ordines pacem & amicitiam colunt; aut quibuscum Privilegiatae Societates Indiarum Orientalium & Occidentalium eorum nomine, intraterminos Privilegii sui, in fædera pacis & amicitiae, ad mutuam defensionem & utilitatem, coierunt.*

*Retinebit pacientium utraque pars, scilicet altememoratus Rex & D. D. Ordines Generales, omnia Dominia, Castella, Oppida, Fortalitia, Agros & Commercia in Orientalibus & Occidentalibus Indiis, in ora Brasiliensi, atque in tractibus Asiae, Africæ, & Americae sita, eo modo, quo illa tempore hujus tractatus possederunt, & comodis illorum usi fructi sunt.*

*Ceduntur Federato Belgio omnia loca, per Lusitanos a Belgis capta & occupata ab anno 1641. queque Belga, illæso hoc fædere, in posterum erunt occupaturi atque possessuri, &c. Cum stipulatione atque conventione ulteriore, ut Hispanis integrâ maneret Navigatio ad Indias Orientales, eo modo, quo illam habebant aut exercebant tempore hujus fæderis, neque licet illis orientem versus ulterius progredi, aut (ut verba habent) ulterius se extendere.*

*Quemadmodum etiam incolis Fædrati Belgii interdicitur commerciorum causa frequentare loca Castellana, in India Orientali sita.*

*Quod autem ad Occidentales Indias attinet, probibentur itidem subditi atque incolæ Regnorum, Provinciarum, & agrorum altememorati Regis & D. D. Ordinum, Navigationem & commercia exercere ad loca, portus, Castella, & Fortalitia, ab alterutra parte occupata, aut ubi stationes sive domus, mercaturæ causa institutas, habent &c.*

## §. III.

*De sententia horum articulorum, aut significatione verborum, qui a bus antiquitus concepti fuerunt, nunc anxie inquirere inutile esset, & præter jus & æquum. Tempus enim & consuetudo plurimorum annorum eorum mentem & voluntatem satis declaraverunt, & de illis quæ annorum in a continuo usu interpretationem certam receperunt, postea amplius disputare, jura nostra non finunt, ut ex Abbatे, Roderico Suario, aliisque receperunt, multis affirmat Solorz. Lib. III. de Jure Indiarum Cap. 2. n. 45. Qui non esse am omnes statuunt, legem, quantumvis dubiam, a consuetudine ita interpretatio nis certam plus diquuntur, ut a tali consuetudine non sit recessendum. Et paulò post: Opinio quippe generalis, ab antiquo derivata, & convenientibus rationibus sus fulta, habetur pro veritate. Nihil autem est, quod magis convenien tibus*



## DISSERTATIO DE JURE

tibus rationibus suffultum autumare possumus, quam id, quod Princeps de consilio suorum Procerum ac sapientum fecit, tunc enim omnia legitime acta presumuntur, & cum justa causa, ita ut postea impugnari, vel in dubium revocari non possint, obstante nimis exceptione sententiae, & rei judicatae, que ex eismodi consultationibus, assertionibus & diligentias oritur, ut ait idem Solorzanus Lib. III. cap. 2. n. 41.

## §. IV.

Societas Indianorum Orientalium Fæderationis Belgii in suis per tempus longissimum negotia sua est, sine turbatione Hispanorum, ne dum Incolarum Belgii Hispanici.

Centum & plus quam viginti anni iam elapsi sunt, ex quo Societas Indiæ Orientalis Fæderati Belgii navigationem, & commercia, secundarii Belgii in-dum Privilegia sua (quæ Rex Hispaniarum anno 1609. primo per fædus Induciarum ægrè quodammodo admisit, deinde post satis longas & maturas deliberationes, anno 1648. solenni pacis fædere ad omnem effectum plenissime confirmavit, atque ut defenderentur promisit) in Indias Orientales exercuit. Negotiata est predicta Societas ab hoc tempore pacis, intra limites sibi concessos, & fædere firmatos, sine ulla memoranda oppositione, aut turbatione a parte Hispanorum, nedum a Brabantis aut Flandris facta; utsique quibus navigatio illa & Commerciū, ut & omnibus alienigenis, præter Hispanos, non tantum Pontificium Romanorum Constitutionibus, sed etiam Regum ac Principum suorum legibus, erant interdicta. Solorz. Lib. 2. Cap. 24. n. 16, 24, 29. & seqq. Cap. 25. n. 71. & 79. ubi affirmat, per alienigenas intelligi omnes subditos, quibus speciali Regis concessione non erat permissum navigare aut mercaturam exercere, ad Indianum Regiones, quo numero habebantur Arragonenses, Belgii incolæ, aliisque, sicut accuratius hæc omnia explicantur ab Hispano Jurisconsulto Juan Evia de Bolano, in Curia Philippica de Commerce Terrestri Lib. 1. Cap. 1. n. 36. atque etiam constat ex Responsis Legatorum Regis Hispanie apud Aitzma ad annum 1646. editionis in 4to. p. 290.

## §. V.

Belgii incolis omne Commerciū ad Indias, sive Orientales, sive Occidentales, ab omni tempore penitus prohibitum fuisse, legibus, & diversis actis monstraruntur.

Præterea Belgii incolis speciatim istam navigationem & Commercia prohibita videmus per Instrumentum Cessionalis, quo Hispaniarum Rex, Belgii tunc temporis Princeps, illas Provincias cessit, & tradidit Serenissimis Archiducibus Alberto & Isabellæ, cuius art. 8. cautum: Ne Archiducibus, aut illorum successoribus aut subditis, unquam fas esset, navigationem & Commercia exercere ad Indias Orientales, vel Occidentales, sub pena commissi & privationis illarum Provinciarum, & si subditorum aliqui adversus ea fecissent, in illos graviter animadvertemus fore.

Per-



Permanxit Belgium Hispanicum in ista prohibitione, per Fædus Induciarum anni 1609. art. 4. deinde per fædus pacis Monasteriensis ratione Federati Belgii ex stipulatu D. D. Ordinum ne Rex Hispaniarum, tunc iterum Belgii Princeps, *in Indianam Orientalem ulterius se extenderet*. Permanxit denique per novissimum fædus, quod notum est sub nomine *Traité de Barrière*, pactumque inter Augustissimum Romanorum Imperatorem Carolum VI. & Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem, nec non Præpotentes D. D. Ordines Federati Belgii, Antverpiæ anno 1715. art. 1. quo Belgicæ Provinciæ, altememorata Cæsarea Majestati, tanquam Regi Catholico, & Gloriosissimi Caroli secundi, Hispaniarum Regis, Hæredi & Successori, ea lege traduntur, ut Cæsarea sua Majestas illas Provincias habeat iisque utatur fruatur, sicut postremo defunctus Rex eas habuit, & usus fruitus est, aut babere & uti frui debuerat, secundum novissimum fædus Rijssicensis.

## S. VL

Habuisse autem & possedisse omnes prædecessores Cæsareæ suæ Rex Hispaniæ Majestatis, & supremum Hispaniarum Regem, easdem sine navigatione & Commercio ad Indias Orientales, vel Occidentales, tam an Belgicas Provincias quam post fædus pacis Monasteriensis, adstrunctione non indiget, vincias habuit. Nam de nostris temporibus id scimus, de vetustioribus autem videris sine navigatione aut potest Emanuel a Meteren *ad annum 1600. fol. 458.* Ubi narrat, Commercio cum initio præteriti seculi quidam mercatores Antverpienses tentassent ad Indias. Commercia ad Indias Orientales exercere, Regem Hispaniarum illud tam ægre tulisse, ut post varias severasque comminationes, Antverpienses illud admissum gravi multa 60000. ducatorum ligure necesse habuerint.

Simile quid cum relatione ad limites nostros, atque ad assertionem articuli quinti pacis Monasteriensis, in India Orientali accidisse constat ex actis supremi Senatus Indiarum Belgicarum, die 24. Aprilis 1653. quoniam quidam subditus Hispaniæ, natione Brabantus forsitan aut Flander, nominatus *Bastianus Brouwer*, impetrata ad hoc venia ab Hispaniarum Rege navigationem instituisset ad Oras Sinaes, ubi maximo enim lucro commercia exercebat, atque hoc notum fieret prædicto Senatu Indiarum Belgicarum, iste re ritè persensa, statim sequenti sensusconsulto ita prospexit.

*Extractum ex actis  
Præsidis & Consilia-  
riorum Indiæ Ori-  
entalis Fæderatarum  
Provinciarum, Ba-  
taviae.*

*Martis die 24. Aprilis 1653.*

**Q**uoniam articulo 5. fæderis pacis cum Rege Hispaniarum iicti, expresse cautum pactumque est, quod subditi alte memorati Regis retinebunt navigationem suam in Orientali India, eo modo, quo illam tunc temporis exercebant, neque liceret illis ulterrimus se extendere; & nos, ex relationibus ministrorum Tonquinensium, certiores facti sumus, quod quidam subditus Regis Hispaniarum nomine *Bastianus Brouwer*, impetrata ad hoc venia ab Hispaniarum Rege, quotannis frequenter naviget inter Tonquin, Quinam & Cambodiā, ubi Hispanis tunc temporis navigatio nulla fuit, atque ibi, cum magno detimento commercii nostri, quaestus non modicos facere soleat, vi sum est Senatui, omnibus rite persensis, dicto *Bastiano Brouwer* istam navigationem, ex vigore dicti articuli, prohibendam esse, atque eum in fine naves nostras, quæ ad illas oras navigaturæ sunt, jubere & potestate instruere, ut

*equum*

*Extract uyt de Resolu-  
tien door den Gou-  
verneur Generael en  
de Raden van Neder-  
lands Indië tot Bat-  
avia genomen op*

*Dingsdag den 24. April 1653.*

*Also by het 5. articul van het  
Vreedens tractaet met de Kroo-  
ne van Spanjen gemackt expresselyk  
geshipuleert en versproken zy, dat  
de Onderdaen van gemelde Kroo-  
ne in Oost-Indien sullen blyven by  
baere vaerten in sodaniger voegen  
als sy de selve als doen hadden,  
sonder hen verder te mogen exten-  
deren, en wy uyt de Tonquinse ad-  
wyzen berigt worden, hoe eenen Ba-  
stiaen Brouwer, Onderdaen van  
Spanjen, en met Spaense Commissie  
voorsien, jacylycx sterk over en wee-  
der is varende, tusschen Tonquin,  
Quinam en Cambodia, alwaer sy  
doen ter tyd geen vaert gehadheb-  
ben, ende groote negocie aldaer is  
dryvende tot prejudicie van onsen  
handel in die quartieren, soo is na  
overleg van saken goedgevonden  
den selven Bastiaen Brouwer de sel-  
ve vaert uyt kragt van't voorsz.  
articul te verbieden, ende onse schee-  
pen, die om dien Oord gedestineert  
zy, ofte nog sullen worden, te au-  
thoriseren en gelasten den selven in  
Zee in het gaen of komen rescon-  
tre-*

eum, si euntem aut redeuntem in mari offendant, detineant, detentumque ad Tayonam , aut huc quidem, prout commodissimè poterunt, transmittant. Ne tamen ipsi, vel navi ipsius , aut mercibus ulterius noceant, vel vim aut damnum inferant, quam ad custodiendum illum erit necesse. At si se defendat, & prior ad vim infrendam occasionem præbeat, licet illis contraria vi jus nostrum exequi.

Hoc fideliter extractum cum actis Præsidis, & Consiliariorum Bataviae, quæ Amstelædami servantur, convenire.

Attestor

A. WESTERVEEN, Societas Indianorum Orientalium Federati Belgii a consilio & secretis.

Ex quo factum est, ut non tantum ille Brouwer, sed & cæteri Hispaniarum Regis subditi, ab ista navigatione abstinuerint; Neque Rex hoc gravior tulit, neque subditorum quisquam in contrarium quid postea attentavit.

§. VII.

Habes ergo a parte Fœderati Belgii probationem possessionis, ex justa Legibus & causa, per tempus longissimum continuatae : ab altera parte, scientiam fœderibus, & patientiam Belgii Hispanici, consensu Procerum ipsorum, solenni ritu aliquando etiam confirmatam.

Nam ne vetustiora repetam, ut sunt supra memoratae Constitutiones Pontificum Romanorum, & Regum Hispaniarum, sub poenis excommunicationis, aliisque gravioribus, omnes alienigenas præter Hispanos ab aditu Indianum secludentes; videamus modo, quid tempore, quo Navigationis & Commercei illius interdictum, iussu Principis, nominatum contra Belgii Hispanici incolas, intentaretur, acciderit: Nenape, cum Instrumento Cessionis, quo Provincia Serenissimis Archiducibus traditæ sunt, conceptis verbis cautum esset: Ne subditis

trerende, aen te snoeren, ende na Tayoan of herwaerts, na het best gelegen sal komen, op te brengen, sonder hem eevenwel aen lyf, schip off goederen te beschadigen, ofte eenige overlast off gewelt aen te doen, verder als de verschering van dien nootwendig sal vereyschen, ofte ten ware hem ter weere stelde, ende eerst oorsaek tot fytykheiden quam te geven, als wanneer ons regt ook niet contrarie middeilen vermogen te mainteneren.

Verklare ik ondergesz. Advocaet der Generale Nederlande Oost-Indische Comp. het bovenstaande geextraheerde met de Resolutie van den Gouverneur Generaal en Raaden van Batavia, alhier te Amsterdam berustende, te accorderen.

A. WESTERVEEN.

*que commercia ad Indias prohibent, incola Belgii Hispanici parere numerum quam detrectant.*

*ditis illarum licet Commercia ad Orientales seu Occidentales Indias exercere, nemo Procerum oblocutus est, nemo protestatus; sed illam legem, utcunque nunc dura videatur, scientes prudentesque subierunt: nequæ juramentum fidelitatis super ea præstare hæsitaverunt; ut colligi potest ex notatis a dicto Van Meteren Lib. XXII. in princip. fol. 442. verso. Ubi diversa quidem gravamina recensentur, quæ Belgii Proceres contra receptionis conditiones, sive Latum introitum Archiducum inöverunt; sed de prohibito Commercio ad Indias nullum verbum reperitur; protestatus neino est, cum Hispaniarum Rex fædus Pacis Mōsteriensis cum Fæderato Belgio iniret; protestati denique non sunt, cum Sacra Cæsarca sua Majestas nuperime easdem provincias reciperet, ea lege & modo, qto Hispaniarum Rex supremus eas possederat, aut posse fidere debuerat.*

## §. VIII.

*Ulis & prof.  
fessio longissimi  
temporis,  
sciente & pa-  
ciente adver-  
sario, eum  
excludit, et si  
titulus defec-  
ret: præcipue  
in princip. li-  
bus causis.*

Si ad fundandum jus nostrum nihil aliud asserri posset, atque ipse titulus, seu acquirendi modus legitimus Societati privilegiatae Indiae Orientalis Fæderati Belgii deficeret, isque tam dubius quam certus, tam putativus quam verus reperiatur, credo sufficeret, non tantum ad posse fissionem more antiquo retinendam, sed etiam ad repellendos eos, qui eandem turbare tentarent, quod in hoc casu liquido probare possumus per ea, quæ habet Solorzani de Jure Indiarum Lib. III. cap. 3. n. 21. Nam si ratio excusandarum vel minuendarum litium inter privatos præscriptionem induxit, longe fortius ad Principum causas eandem porrigitur convenit: cum omnes ipsorum ditiones hac sola, ut plurimum, antiquitatis tuitione subsstant. Et paulo post: Cujus vim & effectum si quis temeraria doctrina novitate convellat, nihil aliud, quam bellorum semina, quibus totus mundus ardeat, in orbem injiciet. Vide eundem Solorz. Lib. III. cap. 1. n. 8. & seqq. cap. 2. n. 40. & seqq. cap. 3. n. 74.

## §. IX.

*Titulus, quo  
Societas Belgii  
Fæderati In-  
dias Orienta-  
les possit,  
præcipuus est  
Acquisitio in  
bello, pacis fa-  
dere confir-  
mata.*

Ne tamen quid desit, de titulo nunc etiam inquiramus. Titulus si-  
ve modus acquirendi, quo Societas Indiae Orientalis, ex autoritate Præ-  
potentiū D. D. Ordinum Fæderati Belgii Oppida, Castella, Fortali-  
tia, quæque ab iis dependent, in India Orientali adepta est, & tractum  
aliquem, Commerciorum causa, sibi liberum ab Hispanis stipulata est,  
cum exclusione omnium subditorum Regis, inter alia præcipuus est  
*Acquisitio in bello*, que postea solenni Pacis facere confirmata est.  
Quod verbo hic allegasse & præmonuisse sufficiat; primo ut cau-  
sa hæc disinguatur ab illa, quam H. Grotius, aliisque maris liberi  
vin-

vindices quondam defenderunt contra *Solorzanum*, & qui eum secuti sunt: quibus nunquam controversum fuit, an maria, quantumvis libera, conventione duorum Principum ita occupari aut dividi possint, ut unus ab alterius terminis, secundum pacta conventa, abstinere debeat; sed id præcipue, an Princeps aliquis ultum maris ita sibi vindicare, & præscribere possit, ut alterum inscium, invitum, & non consentientem ab eo in posterum prohibere valeat. Deinde etiam, ut discriben, quod faciendum est inter pacis & belli tempora, hic rite obseretur; quatenus nempe Austriaco-Belgæ pacis tempore sibi idem licere putant, quod a Belgis Fæderatis, non nisi flagrante bello peractum, & postea a Rego Hispaniarum Pacis fædere confirmatum est; dum prætendunt quæstiones istiusmodi decidendas esse ex jure gentium primævo, quo ferè omnia erant communia, cum tamen doctis & indoctis æque notum sit, jure, quod hodie obtinet, & apud omnes gentes peræque custoditur, plurima distincta esse, quæ antiquissimo tempore, indistincta fuerunt; plurima pactis definita, quæ ante incerto jure fluctuaverunt, & saepe gravissimarum litiuum atque bellorum causam præbuerunt. Qui sub prætextu commercii exercendi ad loca, quæ quasi neutraruim partium, & sui juris sunt, adeo ut commercia unicuique gentium concedere possint, licere sibi existimant intrare fines nostros, ibi navigare, negotiari, fortalitia, castella, oppida, stationes mercaturæ causa erigere, eademque pecunia, vel armis acquirere, aliaque facere, quibus lucra Societatis nostræ intercipiantur; Concessio quin ex iis, quæ contigerunt tempore, quo fædus Induciarum cum Fæderato Belgio exierat, liquido constet, Regem Hispaniarum bellum liceret illis quidem refuscitasse, ob id solum, quod Belga Fæderati ad Indias Orientales navigarent, licet abstinerent a locis Castellanorum, neque ullo fædere vel pacto ad abstinentum a Maris usu essent obligati. Vide Art. Regem Hisp. 4. Tract. Induc. Anni 1609. Solorz. de Jure Indiarum, Lib. II. Cap. 25. n. 83.

Concessio  
quam dederat  
Belgis Fæd. ut  
liceret illis  
navigare ad  
locu, quæ sui  
juris erant,  
Regem Hisp.  
pœnæ  
tuimus.

Quo pacto singula oppida, castella, portus, fortalitia, aliaque loca coëmptione, conventione, aut armis, partim a Lusitanis, partim ab Indicis regulis, partim etiam ab Hispanis per Societatem Fæderati Belgii capta & acquista sint, hic enarrare longum foret & inutile; quoniam, si post tam diuturni temporis actum, de iis quæ ab ipso usu & consuetudine interpretationem certainam receperunt, hodie inquirere liceat, id tantum agendum videtur, ut accuratius examinemus, quid inter Regem Hispaniarum, & Fæderatum Belgium, Articulis Pacis Monasteriensis 5. & 6. convenitum sit, tam ratione *Rei*, de qua convenerunt, quam ratione *Personarum*, quæ sub ea conventione comprehenduntur.

## §. X.

*Articuli 5. & 6. pacis Monasteriensis explicantur, & primo inquiritur, quid ratione rei conventionis sit.* Ratione rei objectum præcipuum conventionis, secundum Articulum quintum, est divisio Indiarum Orientalium in duas partes ; quarum pars Occidentalis , incipiens a Philippinis insulis , vulgo *de Manilbas* cederet Hispanis , pars Orientalis , incipiens a Moluccis , integra maneret Societati Indiæ Orientalis Fæderati Belgii.

*Art. 5.* Hispanis necesse esset Navigationem ad Indias Orientales instituere eodem modo, quo illam tempore istius Fæderis exercebant habebantque, neque liceret illis Orientem versus ulterius progredi , sive, ut verba se habent, *uterius se extendere.*

Divisio ea similis fere est isti, quam Anno 1493. fecit Pontifex Maximus Alexander VI. referente Solorzano *Lib. I. Cap. 6. n. 68. & seqq.* Qui, cum lis oriretur de limitibus Navigationis & Commercii, inter Hispanos & Lusitanos, eaque ex compromisso ad ejus arbitrium delata esset, cognita Regis utriusque causa, Globum terræ medium quasi dissecuit, per lineam seu Meridianum a polo Arctico ad Antarcticum, ad punctum circiter 343. gradus longitudinis, sive, quod eodem fere redit, ad leuncam 340. a Capite viridi, ita ut pars Orientalis cederet Lusitanis, ob juris antiquitatem , pars Occidentalis Hispanis. Et ne alter alterius fines ingrederetur, statuit, ut Lusitani ad solis ortum, Hispani ad occasum iter ingrederentur ; neque Hispanis liceret uti via a Lusitanis aperata, id est navigare ultra promontorium *Giranæ*, hodie dictum *Bona Spei*, sive *Cabo de Bonne Esperance*. Quam divisionem causam præbuisse Solorzanus ibidem refert, ut tam anxiè à Magellano, & aliis navigatione ad Moluccas per maria, extra Lusitanorum limites posita, quæreretur : atque ut super iisdem insulis novæ lites excitarentur, quoniam uterque Rex eas suis finibus comprehendi contendebat, variis rationibus & prædicti Meridiani computationibus hinc inde perpensis ; quamobrem tandem convenerunt, ut Castellæ Rex illas Lusitanis 350000. ducatis oppignoraret. Vide porro Eundem *Lib. II. Cap. 14. n. 17. & 18.*

Hoc igitur pacto Lusitani Moluccas insulas possederunt, sed varia bellorum fortuna; recuperantibus illas, modo Hispanis, modo Lusitanis, tandem etiam Belgis, qui secundum pacis Fædera cum Lusitanis & Hispanis percussa, alias adhuc jure Dominii obtinenterunt.

De Philippinis raro lis fuisse legitur, quin semper fere Hispanorum ditioni fuerint accensæ. Cellarius *Geog. Nost. Temp. Cap. 23.* Solorz. *Lib. I. Cap. 6. n. 74.*

## §. XI.

## §. XI.

His ita breviter præmissis, facilius quodammodo percipientur verba memorati art. 5. *Ut scilicet Hispanis integrâ maneret navigatio ad Hispanias non indias Orientales, eo modo quo illam exercebant, tempore hujus Fede-dum convenirs, id est per fretum Magellanicum, aut supra promontorium Hoorn tionem in Indias Orientales se extenderet, ultra Philippinas insulas, quoniam alio itinere uti, nempe supra promontorium Bonæ Spei, sententia Pontificis Maximi, supra allata, iis erat intendere, ultra Philippinas insulas ostendit.*

Dico ad *Philippinas insulas*, nec ultra; secundum id, quod Directores Societatis Indiae Orientalis, tunc temporis P. P. D. D. Ordinibus proposuerant per Consultationem, quæ reperitur apud Aitzma *ad annum 1645. pag. 87.* his verbis:

Quoniam Commercia ad Orientales & Occidentales Indias erant præcipua capita mandati legatorum, mercatores Societatum illarum exhibuerunt P. P. D. D. Ordinibus has consultationes.

*Alsoo de Commercien in Oosten-de West-Indien waeren van de principaelste ingredienten der instructie, soó hebben die van de selve Comp. aen haer Hog. Mog. overgegeeven dese consideratien.*

### *Consultatio mercatorum, qui in India Orientali negotiantur.*

**Q**uanquam mercatores Societatis Indiae Orientalis è re magis esse putant, bellum cum *Castellanis* in India Orientali continuari, quoniam æque ac in bello semper in armis atque ad defensionem parati esse cogantur, sperant tamen, Præpotentes D.D. Ordines, si pax aut induciant, curatuos esse, ut *Castellani* navigationem suam servent eo modo, quo illam hactenus eò instituerunt, & ne licet illis ulterius se extendere. Quæ omnia summae prudentiae

Poten-

### Consideratien van de Oost-Ind. Negocianten.

**A**lhoewel de Oest-Ind. Comp. of Negocianten, dienstiger soude oordelen in den oorlog met de Castilianen in Oost-Indien te continueren, vermits sy dog gestadig met de wapenen in de hand op haer hoede, en defensie moeten staen, soó vertrouwen sy dogb, dat uwe Ho. Mo. in Cas van tractaet van vreeden of treves sodanige forse dragen sullen, dat die voorn. Castilianen gelaten worden by haer waert, soó sy de selve nu aldaer nog hebben, sonder hun vorder te mogen extenderen, alle't welke sy de hoge wysheyt

B 2

van

Potentissimorum Dominorum Ordin. commendamus.

Summopere tamen considerandum esse, cum reverentia, putamus, si forte *Hispaniarum Rex Indias Lusitanorum armis invadere vellet, & sub prætextu illos reducendi ad suam obedientiam, bello faceret, illud fieri non posse, nisi cum magna molestia atque periculo Societatis Indiae Orientalis, quæ hoc modo continuè infestaret ac maximum inde detrimentum sentiret.* Quamobrem, eum reverentia, existimamus, necessarium esse, ut (*Hispani*) ab Indiis Lusitanorum etiam arceanter.

*van uwe Ho. Mo. vorders bevolen fullen laten.*

*Synde niet te min onder reverentie seer considerabel, of het gebeurde dat den Koningh van Spanjen in Portugaels Indien met groote magt soude mogen verschynen, onder prætext van de Portugyzen onder sijn geboorsaemhyt te reduceren, ende dien volgens haer oorlog aendede, dat zulcz niet soude konnen geschieden, als met groot bedenken ende periculen van de Geetroyerde Oost-Ind. Comp. die daer door in een gestadig alarm, tot baer groote kosten soude gehouden worden, ende waerom sy dan ook, onder reverentie, noisakelyk uit Portugaels Indien fullen moeten gehouden worden.*

Durum videbatur Hispanis, & valde iniquum huic legi, *de se non ulteriorius extendendo*, contentire, uti constat ex responsis legatorum Hispanorum, quæ notata sunt in Actis Legatorum Fæderati Belgii, 7. Febr.

1647.

**I**NIQUUM esse Regem impedire velle progressum facere in Brasilia aut in India Orientali adversus Lusitanos, ipsi rebelles: aut in India Orientali navigationem & Commercia non exercere ad alia loca, quæ sui juris erant, aut Commercium concedere poterant.

**H**ET WARE onredelyk den Koning in Brasiel, en in Oost-Indien te willen beletten, progres te doen op de Portugesen syne Rebellen; ofte in Oost-Indien signete exterenderen op andere platen, die haer eygen meester zyn, ofte den handel mogten toestaen.

Consenserunt tamen post satis longas & crebras deliberationes Hispaniarum Regis Legati, secundum formulam à Legatis Fæderati Belgii exhibitam. Mirati sunt multi illam Hispanorum in ea re facilitatem, imprimis Galli, vt videre licet in epistola Legatorum Christianissimi Regis data 21. Dec. Anno 1646. quæ extat in libro, cui titulus

lus: *Memoires & Negociations secrètes de la Cour de France, touchant la Paix de Munster.* Une autre chose, scribunt Legati, qui nous donne à penser, est le relâchement des Espagnols sur le fait des Indes, qui est sans doute l'un des plus considérables Articles de tout le Traité, auquel les Hollandois, trouvent un avantage, qu'ils n'avoient pas espéré & qui ne leur a pas été accordé sans quelque motif extraordinaire. Le Roi d'Espagne consent de ne pouvoir étendre ses limites dans les Indes Orientales, & de les borner a ce qu'il occupe présentement.

## §. XII.

Sed uti sæpe bonorum malorumque fines sub diversa specie apparent; *Ratio divisio-  
nis Indianorum Orientalium secundum art.  
et communem Orbis Christiani utilitatem, ita pactum conventumque s. redditus.*  
atque ex bonis mala, ex malis apparentibus bona sequuntur; ita tem-  
pus postea docuit, optimo & prudentissimo consilio ad utriusque partis,  
& communem Orbis Christiani utilitatem, ita pactum conventumque s. redditus  
esse. Necesse enim videbatur, ut spatium aliquod poneretur medium  
ad separandum Orientem ab Occidente, ad exemplum supra memoratae  
divisionis Pontificis Maximi, qui eo, ni fallor, intuitu terrarum orbem ita  
medium divisit, atque alterum prohibuit alterius iter ingredi, ne Oriens  
cum Occidente, ratione commerciorum, nimium coniungeretur. Nam  
si Hispanis integrum mansisset supra promontorium Bonæ Spei Orientem  
versus navigare, aut ab Occidente supra Philippinas insulas eodem ulte-  
rius se extendere, facile totius Orientalis Indiæ Commerciis potiri potuissent,  
eaque cum Occidentalibus Indiis communicare; quo factò penitus  
actum fuisset de Commerciis Europæorum ad illas oras; quum Ori-  
entalis India plurimas res suppeditet, quibus Occidentalis indiget; & vice  
versa, Occidentalis argentum, aliaque pretiosa, quæ in Orientali India  
maxime appetuntur.

Constituerunt igitur viri summi & sapientes illius temporis, eum in  
finem, Philippinas insulas, tanquam obices & propugnacula, ad præclu-  
dendam viam ab Oriente ad Occidentem; uti ab altera parte Moluccæ  
Belgis relictæ sunt, ne Hispani Orientem versus, sive commerciorum, si-  
ve armorum, sive alterius ejusdemque rei causa, ulterius progrederen-  
tur; nec Commercia exercere possent, non tantum ad ea loca, quæ Bel-  
gii erant subiecta, sed nec ad ea, quæ sui juris erant, & Commercium  
aliis gentibus concedere poterant; ut nec ad loca Lusitanorum, qui tunc  
temporis magnam Indiæ Septentrionalis partem tam intra quam extra  
Gangein obtinebant; quæ omnia per Regem Hispaniarum Federato Bel-  
gio ceduntur & reliquuntur, dicto art. 5. Ejusmodi autem jus, sive juris  
cessionem, hodie pro dominio haberit, licet vere dominum non faciat, ar-  
guit Seldenus *De Dom. Maris Lib. I. Cap. 17.* his verbis: *Idem titulus sæpe*

occurrit in Regum veterum Lusitaniae Diplomatibus, unde eos *Commerciorum, negotiationis & navigationis Dominos, & Heros esse, & agnosci* scribit Valdesius. Dominum vero quem esse posse navigationis in mari, & Commercii, absque maris dominio, non aliud est, quam agro uti frui, alios jure arcere, nec tamen dominum esse.

## S. XIII.

*Prohibitionem articuli 5. pacis Monasteriensis; de ulterius non progrediendo in Indias Orientales, etiam ad Belgii Austraci Incolas pertinere, variis Argumentis evincitur.*

Sic soluta quæstione prima, quid scilicet ratione rei dicto articulo 5. pacis Monasteriensis comprehendatur, restat ut de personis nunc paucis agamus; atque inquiramus, utrum Rex Hispaniarum omnes suos subditos eodem obligaverit, an vero quosdam sive partem tantum? & speciatim an Belgii Hispanici, hodie Austriaci, incolæ, ista obligatione comprehendantur nec ne? Quod omnino affirmandum est, quoniam naturaliter verum est, quod Rex sedes faciens, aut contrahens, foedus fecisse aut contraxisse intelligitur, pro omnibus suis Subditis, nisi quosdam exceptis; & in hoc casu eo manifestius liquet, quia per instrumentum ratificationis, quod Rex dedit, non solum tanquam *Rex Hispaniae*, sed tanquam *Dux Brabantiae & Comes Flandriae*, expresse obligavit omnes suos subditos & Vasallos, omnium Regnum, dominiorum & ditionum suarum, nullis exceptis.

*Occurritur objectioni, que ex variantibus art. 5. & 6. verbis quibusdam, forma tur.*

Objiciat aliquis, illos tamen non omnes nominari artic. 5. pacis Monasteriensis, ubi ratione Indianorum Orientalium nominantur *Hispani & Castellani*, at in artic. 6. ratione Indianorum Occidentalium, omnes subditi Regnum & Provinciarum domini Regis, & D. D. Ordinum; & querat forte, unde haec differentia? Respondeo, differentiam hanc ortam videri ex differentibus sive diversis verbis, quibus Directores Societatum Indianorum Orientalium & Occidentalium usi sunt in consultationibus illis, quas ad petitionem D. D. Ordinum dederunt Anno 1645. de rebus Indianorum. In quibus Consultationibus Directores Societatis Indiae Orientalis passim utuntur voce *Castellanorum vel Hispanorum*; Directores Societatis Indiae Occidentalis utuntur promiscue vocibus *subditorum Hispanie, Regis Castiliae, & Castellanorum*, ut videre licet in Consultatione Societatis Indiae Orientalis, quam supra exhibuimus ex Aitzma pag. 87. & apud eundem pag. 89. etiam id patet ex Consultationis Societatis Indiae Occidentalis articulo 6. verbis sequentibus;

**S**ubditis Hispanie non licebit navigare, ad portus vel loca aliqua, aut Commericia exercere ubi Societas Indiae Occidentalis

Ca-

**D**at de Onderdanen van Spanje geensins fullen vermogen te varen off te handelen in enige Havens off plaatsen, daar de West-

Ind.

Castella quædam, fortalitia, ditio-  
nem, aut stationes mercaturæ cau-  
sa habet,

*Ind. Comp. eenige Kasteelen, For-  
ten, en Gebied, off Logien syn heb-  
bende.*

Item, pag. 106.

**N**Eque licebit *prædicti Regis Ca-*  
*stilia subditis ullo modo Com-*  
mercia exercere , aut navigare ad  
portus , in quibus Societas Indiæ  
Occidentalis nomine Præpotentium  
D. D. Ordinum, Castella quædam,  
fortalitia, ditionem, aut stationes  
habet, nisi vice versa *Castellani* di-  
ctæ Societati concedant simile Com-  
mercium ad omnes regiones & lo-  
ca, quæ ad prædictum *Castilia* re-  
gem pertinent.

**E**N sullen de Onderdanen van de  
voorz. Koning van Castilien  
geensins vermogen te vaeren off  
handelen in eenige havens off plact-  
sen, daer de West- Ind. Comp. in de  
name van haar Ho. Mo. eenige Ka-  
steelen, Forten, Logien off Gebiedt  
is hebbende, 't sy sake dat vice  
versa gelyke bandelling van de Ca-  
stilianen *aen de voorz. Comp.*  
wordt vergunt, in alle quartieren  
onder de voorschreeve Koningh van  
Castilien behorende.

Quoniam autem legati & auctores fæderis Monasteriensis ipfissima  
verba Consultationum illarum in articulis, 5. & 6. fere secuti sunt, eaque  
pro synonymis & æquipollentibus tunc temporis habebantur, inde ma-  
gis casu quam consilio ista vocum differentia irrepsisse videtur. Nam si  
aliter verba accipiantur, eaque stricte, secundum sensum Geographicum,  
interpretari velis, nemio mortalium expedire poterit, quis hic sit in obli-  
gatione, aut quatenus unusquisque contrahentium teneatur. Vox *sub-*  
*ditorum Regis* latius patet quam *Hispanorum*, Hispanorum iterum la-  
tius quam *Castellanorum*, quum Castilia proprie dicta; sive veterem, sive  
novam intelligas, vix tot urbes comprehendat, quot Hispania Regna.  
Unde etiam videmus apud Aitsina, pag. 104. quot Rex Hispaniarum,  
qui ante fædus Monasteriense, *Rex Castilia* vocabatur, tempore istius  
fæderis, titulo *Regis Hispaniarum* sit auctus.

Deinde si regem tantummodo *quosdam*, & non *omnes* subditos obli-  
gasse ponas, quid Reip. Fæderati Belgii prodesset, aut quomodo sensu  
fæderis satisficeret, si Rex verbi gratia, per *Arragonenses*, quibus jus com-  
merciæ ad Indias non competebat, aut per *Brabantos*, quibus id spe-  
ciatim erat interdictum, faceret id, quod per *Hispanos* aut *Castellanos*,  
facere non liceret? aut quid Regem Hispaniarum juvaret, si D. D. Or-  
dines Fæderati Belgii, per eos subitos, qui extra septem Provincias habi-  
tant, & partem illarum non faciunt, (vulgo *het District van de Genera-*  
*liteit*

*Genuina dicti  
artic. expli-  
catio.*

Uiteit id fieri sinant, quod, respectu Indiarum Hispanicarum, incolæ Septem Unitarum Provinciarum facere prohibiti sunt?

Actus agentium magis interpretandi sunt ut valeant, quam ut pereant: & si quid casu minus distincte dictum reperiatur, in dubio id inspicendum est, quod verosimilius est, quod vitio caret, & rei gerendæ aptius est L. 19. ff. de LL. L. & L. 12. de Rebus dubiis. L. 14. de R. J. In fide quid senseris, non quid dixeris, cogitandum, inquit Cicero: sed quia interni actus spectabiles non sunt, & certi aliquid statuendum est, ne nulla sit obligatio, si quisque sensum quem vellet sibi affingendo, liberare se posset, ipsa dictante naturali ratione, jus est ei, cui quid promissum est, promissorem cogere ad id, quod recta interpretatio suggestit, nam alioquin res exitum non reperiret, quod in moralibus pro impossibili habetur. Grotius de Jure Belli & Pacis lib. II. cap. 16. §. 1.

Contractum itaque est cum parte potiori, nempe cum Hispanis, quibus jus erat commerciorum ad Indias, ita tamen, ut Subditorum reliqua pars, cui idem jus non erat, eadem conventione comprehendatur; per argumentum a majori ad minus; quod forte, frequens, & utile esse docet Everhardus, in loco a majori ad minus, & negative, seu destrutive semper procedere, ut, si Regi non licet castrum expugnare, ergo nec militi; Quod enim non licet majori, id non licet minori. Atque hoc facilius probaveris, si consideres, omnia cum Principe acta esse bona fidei; in quibus sœpe accidit, ut non singula verbis ita exprimantur, quin subinde aliquid ex natura rei sit præstandum, quamvis verbis expressum non reperiatur. Unde Jurisconsultus in l. 7. ff. Negotiorum Gestorum ait: Tantundem in bone fidei judiciis valere judicis officium, quantum in stipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio; Vide Leon. Conf. 25. n. 6. Cum igitur hic duo interpretandi modi proponantur, unus nuperrime repertus, alter vetustus, atque usu & exemplis multorum annorum confirmatus; unus quo contractus irritus fiat, alter quo valeat; in questione, uter alteri præferendus sit; vetustiorem præferendum esse, tanquam vitio (ni fallor) carentem, & rei gerendæ aptiorum, nemo forte dubitat.

#### §. XIV.

*Principem  
subditos suos  
in perpetuum  
pro se & suc-  
cessoribus obli-  
gare posse,  
obiter notatur.*

De potestate Principis, an potuerit ita obligare subditos suos, disputandum non videtur: potuisse enim satis constat per ea, quæ habet Gudelinus in Tractatu de Jure Pacis, cap. 12. Non secus ac se ipse subditi suo nomine contraxissent. Quod etiam procedere ait, et si status reipublicæ postea mutetur; puta si ex Monarchia versa sit in Aristocratiam, vel Democratiam. Nec subditos tantum, sed etiam principium

pum Successores & hæredes eadem obligatione teneri, affirmat, *Quandoquidem pax est conventio publica, id est ad statum Reipublicæ spectans: quam idcirco Princeps non tam proprio quam Reipublicæ, quæ perpetua est, nomine contraxisse intelligitur.* Sicut ergo Prælato ratione dignitatis contrabente, Ecclesia ipsa, omnesque in ea dignitate successores tenentur; sicut etiam contractum tutoris, dum tutoris nomine contraxit, curator in administratione succedens, nec non pupillus, major factus observare coguntur: ita successores Principis Conventionem, publico nomine initam. Non solum si sit Regnum, seu Principatus, qui jure hæreditario defertur, (quo casu, cum successor Principatum à defuncto accipiat, minor dubitatio est, eum, exemplo ceterorum heredum, omnia facta defuncti præstare, rataque habere debere) verum etiam si Principatus sit, in quem alio modo & certa lege succeditur: *Vti Regnum Francie lege Salica.* Quæ etiam in hoc casu eo minus in dubium vocari possunt, quoniam Hispaniarum Rex per actum Ratihabitionis Pacis Monasteriensis, vna cum subditis suis omnes suos Hæredes & Successores tam universales quam particulares expresse obligavit.

## §. XV.

Praeterea etiam manifestum est, quod Sacratissima Cæsarea Sua Majestas Regna & Dominia, quæ a Corona Hispanica accepit, Hæredis titulo obtinuit, non tantum ad suam utilitatem, sed etiam ad commune commodum & utilitatem Fæderatarum Potestatum; sicut hoc appareret ex conditionibus Magnæ Confœderationis, quam inierunt Gloriosissimus Romanorum Imperator Leopoldus, cum Serenissimo Magnæ Britanniæ Rege, & P.P.D.D. Ordinibus Fæderatarum Provinciarum Hagæ Comitis, die 7. Sept. 1701. in cuius proemio dicitur: *Quandoquidem mortuo sine liberi, non ita pridem, Gloriosissimæ Memoriae Carolo II. Hispaniarum Rege, Sacra Sua Cæsarea Majestas successionem in Regna & Provincias Regis defuncti Domui sua Augustæ legitime deberi aseveravit &c. & paulo post: Adeo ut nisi prospectum fuerit, satis appareat, Cæsarea sua Majestati abiciendam esse omnem spem, unquam sibi de pretensione sua satisfactum iri, Sacrum Romanum Imperium jura sua in Feuda, quæ sunt in Italia, & in Belgio Hispanico perditurum, Britannis & Belgis Federatis liberum navigationis & commerciorum usum in Mare Mediterraneum, in Indias & alibi funditus peritum.*

Cæsaream  
suam Maje-  
statem Belg-  
icas Provin-  
cias heredi-  
titulo acce-  
pisse,

## C

## §. XVI.

## §. XVI.

*Adeoque te-* Unde sequitur, quod alte Memorata Cæsarea sua Majestas tanquam  
*ad omne* Hæres etiam præstare tenetur omne id, quod postremo defunctus Hi-  
*quo defun-* Hispaniarum Rex præstare debuerat: & quidem ratione Unitarum Pro-  
*ti Rex G. M.* vinciarum, curare ut in terris, quas ita accepit, *Privilegia Societatum*  
*ebatur.*

*Indiarum Orientalium & Occidentalium, sarta tecta serventur; ne-*  
*que sinere, ut per subditos suos in contrarium quid fiat, aut si quid*  
*factum attentatumve sit, id quamprimum reparare.* Vide art. 5.  
*Pac. Monast. & Actum Ratihab.*

*Non tantum* Quod tenetur, secundum stipulationis formulam & conditiones de  
*e heredita-* acquirenda ista hæreditate cum Fæderatis Potestatibus factas, quantum ad  
*sed ex di-* se & dominia recepta pertinet, efficere, *ut subditi Magnæ Britanniæ Re-*  
*sis fæderi-* & conven-  
*nis, & Fæderati Belgii in omnibus terris & locis, que supremus Hi-  
*nibus latius* nistratur, *spaniarum Rex tam in Europa, quam alibi possedit, utantur omnibus*  
*isidem Privilegiis, Juribus, immunitatibus & libertatibus commercio-*  
*rum, quibus amborum vel singulorum subditi, ante obitum dicti Regis,*  
*jure quoq[ue] per Tractatus, per Pacta Conuenta, per consuetudines, vel*  
*per alium quemcumque modum uti & frui poterant.* Vide *Confed.*  
*Mag. art. 8.* Atque eo modo impedire, ne *Commercia in Indias &*  
*alibi funditus pereant; secundum proximum dictæ Confad. Magnæ.*  
*Sed secundum Art. 26. Tractatus de Barriere, operam dare ut Commer-*  
*cia & quocumque inde dependet, in totum, & per partes, inter subditos*  
*utriusque Belgij subsistant, eo pede & modo quo illa substiterunt, & sta-*  
*Articulus 26.* *bilita sunt per articulos Fæderis Monasteriensis;* Quoniam isti articuli  
*Tractatus de* a Cælarea sua Majestate, eodem Articulo confirmantur. Si quis dicat,  
*rrriere ex-* isto articulo 26. *Tractatus de Barriere* tantum agi de Commerciis in-  
*icatur.* ter incolas utriusque Belgij; cæterum de Commerciis ad Indias mentio-  
*nem non fieri; respondebitinus, de omnibus Commerciis actum videri;*  
*quoniam relatio facta est ad omnes articulos Fæderis Monasteriensis, qui*  
*a Cæsarea sua Maiestate confirmantur, nullo excepto:* *Hæc enim semper*  
*est natura referentis, ut relatum in eo insit cum omnibus suis qualitatibus,*  
*adeoque referens interpretationem non accipiat a se ipsi, sed ex*  
*natura & contentis in relato, per ea que habet Barboſa Locor. Com-*  
*mun. Lib. XVI. Cap. 33. n. 18, & per totum.* Adde, quod ad majorem  
*cautelam articulo 1. ejusdem Tractatus de Barriere cautum est, ut*  
*Cæsarea sua Majestas Belgicas Provincias habeat, tisque utatur frua-*  
*tur**

# SOCIET. IND. ORIENTALIVM.

19

*tur eodem modo, quo supremus Hispaniarum Rex eas habuit, & usus  
frutus est, aut uti & frui debuerat, secundum novissimum Fœdus  
Risvicensi.*

Verbum Belgicum *Genieten*, aut Gallicum *Jouir*, quæ occurunt D.  
*Art. I.* commodius Latine explicari possent, per verbum *Potiri*, aut  
*Possidere*, quum non ad jus usus fructus, sed ad statum possessionis pro-  
prie pertineant. Possessio autem facti est, & cum de ea queratur, non  
inspicere solemus, quid jure obtineat? sed quo modo ea possessio eo  
die fuerit, quo de ea pactum conventumque est, L. 2. ff. *Vti possidetis*  
*L. I. de Risis & D. D. ad L. i. de Acquir. Poss.* Nam si Cæsareæ suæ  
Majestati aliter possidere liceret, sequeretur etiam ista absurditas, ut ex  
una eademque conventione, una pars maneret obligata, altera liberare-  
tur; adeoque subditis Regionum illarum, quæ cesserunt Cæsareæ suæ  
Majestati, liceret adire Indias nostras; nobis vero ex Contractus rigore,  
ab Indiis Hispanorum abstinendum esset: quod cum natura contractus  
minime convenire, nemo non videt.

Sensus igitur, bona fides, recta ratio, & quicquid huic rei lucis ali-  
quid afferre potest, dictare, & quasi una voce clamare videntur, inten-  
tioneim totius actus, atque omnium fæderum, tam belli quam pacis,  
fuisse, ne quid in terris a Cæsarea sua Majestate, auxiliaribus Fæderata-  
rum Potestatum armis, acquirendis, innovetur, quo commercia illarum  
deteriora fiant, in *Europa, vel alibi*, & præsertim quidem in *Indiis*:  
quoniam navigatio & commercia Indiarum, & ea quæ fiunt extra Eu-  
ropam, præcipuum caput non tantum Pacis Monasteriensis, sed etiam  
magnæ Confœderationis fuisse, ex iis, quæ superius allegata sunt, abun-  
de constat. Nulla enim juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut  
quæ in utilitatem alicuius gesta sunt, ea duriore interpretatione produ-  
cantur ad severitatem, atque ad damnum & detrimentum illorum, qui  
tam insigne officium præstiterunt, ut Provincias Belgico-Austriacas, ar-  
mis & sumtibus suis recuperatas, Cæsareæ suæ Majestati restituerint.

## §. XVII.

De remediiis, quibus Societas Privilegiata Fœd. Belg. uti posset ad jus  
suum servandum, si queratur, (salvo meliori judicio) cum reverentia  
respondebimus, licere prædictæ Societati, si Austriaco-Belgæ perseve-  
rent fines ipsius intrare, naves illorum detinere, & si armis se defendant,  
aut res aliter expediri nequeat, naves una cum mercibus publicare. At-  
tueri.

C 2

que



## DISSERTATIO DE JURE

que hoc probamus non solum legibus & exemplis aliarum gentium, quæ exstant apud Selden. de Domin. Maris Lib. I. cap. 17. Solorz. lib. II. cap. 25. n. 80. item in l. 4. Cod. de Commerc. & Mercat. Sed ipsa Fæderum obligatione & Privilegii nostri tenore; cuius art. 34. cavitur, ne quis, cujuscunque status aut conditionis, supra Promontorium Bonæ Spei, aut per Fretum Magellanicum ad Indias Orientales navigare audeat; sub pena confiscationis navis, & omnium mercium: quod non tantum ad subditos Fæderati Belgii, verum etiam ad Austriaco-Belgas pertinere arbitramur; propterea quod Societas Fæderati Belgii jus suum habet ex pacto & Privilegio a Rege Hisp. & P. P. D. D. Ordinibus simul impetratis; quatenus nempe ille Rex tales terminos in India Orientali per fædus illi cessit, & promisit, ut Privilegia de iis data, & in posterum danda defenderentur. Habet itaque ex conventione, & concessione ad commodum proprium; quando in privatorum quidem causis adhiberi potest remedium *Jurisconsulti* in l. 14. de Injur. Sane si maris proprium jus ad aliquem pertinet, uti possideris interdictum ei competit, si prohibeatur jus suum exercere, quoniam ad privatam jam Causam pertinet. At in publicis causis, valere putamus Leges, Constatuidines, & exempla supra allegata.

His ita breviter expositis, sit tandem disceptationis nostræ, & hujus questionis

F I N I S.



Ku 4142

Ku 4142

(X 23-9444)



**Farbkarte #13**



2 Westermann DISSERTATIO  
36.  
**D E J V R E,**  
QVOD COMPETIT  
*SOCIETATI PRIVILEGIATAE*  
**FÆDERATI BELGII**  
AD NAVIGATIONEM ET COMMERCIA  
**INDIARVM ORIENTALIVM,**  
ADVERSVS  
INCOLAS BELGII HISPANICI  
(hodie) AVSTRIACI.

KÖNIGLICHE  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE



LIPSIAE MDCC XXIV.

P. 174.